



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. XXXVII. Quænam sit exacta definitio probabilitatis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

# QUÆSTIO TRIGESIMA- SEPTIMA.

## Quanam sit exacta definitio probabilitatis?

Cur qua-  
estio hæc in-  
situatur?



GO veram essentiam, propriam notionem, ac exactam veræ probabilitatis definitionem fusè exposui *quæst. 2. de Consc. prob.* atque per omnia secutus sum Philosophum, duplicemque illius definitionem, quarum altera intrinsecam, altera extrinsecam probabilitatem complectitur, explanavi, illisque inhærens propriam ac essentialem probabilitatis notionem eliciui. Si Celladeus quæstionem illam legisset, non conquestus fuisset *lib. 2. quæst. 16. §. 1.* neminem, præter unum Cardinalem Pallavicinum, hoc tempore, in quo tam acriter de probabilitibus disputatur, ex mente Philosophi, sæpius & exactè de probabilitibus agentis, naturam & essentiam probabilitatis explicare conatum esse. Non opus est, ut repetam quæ ibi fusè tradidi; nihilominus quæstionem istam eo fine iterum instituiam, ut Celladeum comiter, dictaque ipsius, quæ legitima sunt ac vera, pro veris admitam; quæ autem à vero aberrant, erroris redarguam.

### ASSERTIO PRIMA.

*Propositum sit ex Celladeo ea in medium as-  
ferre, per quæ Aristoteles praba-  
bile explicavit.*

Probabile  
declaratur  
ex Aristote-  
le in Logi-  
cis.

2. **A**RISTOTELES, inquit Celladeus, *lib. 2. Prior. cap. 27.* vel apud alios 28. hæc habet. *Sed ex hoc est propositio probabilis; quod enim ut in pluribus sciunt sic factum vel non factum, aut esse vel non esse, hoc est ex hoc: ut in odire invidentes, vel diligere amantes.* Sensus horum est, quod propositio probabilis sit, quæ enunciat illud, quod in pluribus evenire solet, ut amantes diligere, & invidios odisse.

Item in  
Ethicis.

3. **R**URUS *lib. 3. Ethicorum cap. 5.* hæc habet. *Consultatio autem de illis est, quæ ut plurimum quidem sunt, incerta tamen sunt, quomodo evadant.* Hoc in loco Philosophus non nominat probabile; nihilominus alludit ad probabilia, ad quæ aut per consultationem, aut per conclusionem deductivam pervenimus.

Demum in  
Rhetori-  
cis.

4. **T**ERTIO, *1. Rhetor. cap. 2.* apertius ac magis signatè loquens de probabilitibus, eorumque naturam exponens, hæc habet. *Probabile namque est, quod ferè semper fieri solet, verum non simpliciter, ut quidam definiunt, sed quod in iis, quæ contingit aliter se habere, sic se habet ad illud quod est probabile, sicut universale ad particulare.* Ex his Aristotelis locis Philosophi communiter definiunt, *Probabile esse quod plerumque contingit.* Quæ est definitio probabilitatis intrinsecæ in ipsis objectis fundata: & ad hanc probabilitatem respicit *regula illa 44. ju-*

*ris in 6. Inspicimus in obscuris, quod est verissimi-  
lius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Hæc Celladeus.

5. **H**AS Aristotelis propositiones, postremam præsertim; ita explicat Celladeus, ut nolit quidem esse probabile, nisi in suo esse sit contingens; quia quæ necessariò sunt talia, vel sunt prima principia evidentia, vel sunt scibilia & demonstrabilia. De necessariis autem contendit, illa esse solùm probabilia quoad nos cum fundamento in re, quatenus probantur non per medium scientificum, sed per medium probabile, quod quidem aliter se potest habere, tamen ferè semper ita se habet.

Secundò, vult, ut ex contingentibus illud solùm sit probabile, quod ferè semper contingit; sic enim verbis Philosophi exactius insitit.

Tertiò, contendit, hæc ad probabilitatem non sufficere, sed ulterius requiri, ut medium, assumptum ad probationem, sit universalis objecto, ad quod probandum assumitur. De singulis istis fusè tractat, per quæ putat, se ipsam probabilitatis intrinsecæ naturam, ex rei veritate, atque etiam ex mente Philosophi tradidisse. Ego verò omnia ista aut falsa, aut correctione digna invenio. Sit ergò

### ASSERTIO II.

*Nisi quæstio fiat de nomine, multa necessaria sunt tam propriè probabilia, quam quævis contingentia; idque tam quoad se, quam quoad nos.*

6. **P**ROBATUR. Innumeræ quæstiones tam in Theologia quam in Philosophia reperiuntur, de quibus absolutum iudicium formamus, non scientificum, sed solùm opinativum. At omnes, aut certè ferè omnes illæ materiæ sunt res, quæ non possunt aliter se habere. Ergò res necessaria, quæque aliter se habere non possunt, tam sunt objecta opinabilia, quam scibilia. Rursus plurima istorum motivis valdè rationabilibus, multum prævalentibus, ac veris comprobantur. Ergò sunt, non utcumque, non temerè, sed prudenter, & maturè opinabilia. Ergò sunt probabilia, quia omne incertum, prudenter ac maturè opinabile, est etiam probabile, ut omnes & fatentur, & supponunt. Ergò multa objecta necessaria, propriè loquendo, sunt probabilia, nec quisquam de hoc dubitabit, nisi Philosophorum ac Theologorum omnium unanimum sensum in usu termini *Probabile* in dubium revocaret, & condemnaret; ac deinde ineptam de nomine quæstionem instituerit; quia certum est, omnes unanimitè huiusmodi opiniones vocare probabiles, nec

Quomodo  
Celladeus  
ex his expli-  
cet probabi-  
le?

Necessaria  
tam propriè  
sunt proba-  
bilia, quam  
contingenti-  
a.

nec vel per umbram insinuant, se aut improprie loqui, aut supponere, terminos illos in strictiori significatione usurpari posse. Quin Celladeus ipse §. 2. expressè asserit, *omne probabile esse opinabile, & omne absolutè & simpliciter opinabile esse probabile*. Quod assertum quoad primam partem verum est, quoad secundam verò est nimium; quia omnes haereses sunt opinabiles, cum innumeros sectatores habeant, quae tamen omnes sunt prorsus improbabiles. Idem dico de omni iudicio ac opinione temerè concepta; objectum enim talium actuum est opinabile, alioquin opinio de illis elici nequaquam posset. At objectum illarum non est probabile. Demùm opinio & opinabile sunt immediatè correlativa. At opinio ex omnium sententia dividitur in temerariam, & benè fundatam, seu in improbabilem & probabilem. Ergò opinabile eandem subit divisionem, & aliud est probabile, aliud improbabile. Ergò non omne opinabile est probabile, sed illud solum, quod prudenti ac rationabili fundamento nititur.

Celladeus  
torquet  
terminos,  
illis  
que abuti-  
tur.

Celladeus  
torquet  
terminos,  
illis  
que abuti-  
tur.

7. Scio, Celladeum torquerè terminos, ut supposititiam suam de probabilitate opinionem, per solam veritatem realem omnia explicantem, fulciat. Dicit enim, huiusmodi objecta non esse opinabilia simpliciter, sed solum secundum quid; scilicet ex errore vel ignorantia; nam sicut hæc consequentia in incredibilibus non valet. *Hoc actu creditur. Ergò est credibile*, quia multi ex simplicitate, ignorantia, vel errore credunt incredibilia; ita pariter similis consequentia non valet in opinabili, quia multi eisdem de causis opinantur inopinabilia. Verùm hæc omnia contra apertam veritatem dicuntur; impossibile enim est, ut simpliciter incredibile credatur, aut inopinabile affirmetur, aut non cognoscibile cognoscatur; quia termini isti sunt prorsus oppositi & inconiungibiles. Itaque quando dicimus incredibilia credi, sensus est, ea credi ab aliquibus, quæ aliis sunt incredibilia; aut ea ex passione ac temeritate credi, quæ prudenter credi non possent, si omnia inspicerentur. Cæterùm quidquid creditur aut affirmatur, haud dubiè est simpliciter credibile & affirmabile. Nec obstat, illud credi ex errore aut simplicitate; nam undecumque tandem appareat motivum, propter quod aliquid creditur, motivum illud reddit objectum credibile, cum sine motivo nil credi possit, quod proinde per motivum illud redditur credibile.

Inopinabile  
potest credi  
opinabile.

8. Dices cum Celladeo. Multa videntur nobis certa & evidentiæ, quæ tamen nec certa sunt, nec evidentiæ. Ergò pariter multa videntur probabilia ac opinabilia, quæ verè talia non sunt, sed solum nobis apparent talia.

Respondeo, transeat totum, quia sicut reflexè errare possumus circa certitudinem & evidentiæ, ita pariter & circa probabilitatem existimando motivum aliquod sufficere ad prudentem assensum, quod ad illud non sufficit. Et idem valet de opinabili. Sic si aliquis reflexè crederet, se posse opinari aliquid sine ullo motivo, deciperetur circa opinabile, quia objectum sine motivo videretur illi opinabile, cum tamen opinabile non sit absque motivo; nemo enim quidquam opinatur sine motivo. At si opinetur, aut actu credat, evidens tunc est, objectum illud non fictè & apparenter, sed verè & propriè fuisse credibile & opinabile. Itaque Celladeus haud dubiè errat, dum asserit probabile converti cum opinabili; ratio est, quia longè plus requiritur ad probabiliter opinandum, quam ad opinandum simpli-

ter, ut omnes tradunt. Sed Celladeus contentus non est, nisi in omnibus fermè sit singularis, & idè nil mirum si in omnibus fermè à veritate recedat.

9. Stet ergò certum esse, quòd multa necessaria tam propriè sint probabilia, quam quævis contingentia. Nec hoc in dubium vocari potest, nisi quæstio fiat de nomine, & quis ex proprio se, quam cerebro contra omnes loqui velit. Jam autem quòd ea sint non solum quoad nos, sed etiam quoad se probabilia, probatur, quia non est magis certum quoad se quòd eclypsis Lunæ futura sit tali die, quam quòd Petrus cras sit peccaturus, quia Deus immediatè ac certissimè videt omnia eiusmodi in seipsis. Itaque tota diversitas est quoad nos, qui non habemus fundamenta sciendi nisi alterum. Præterea denominatio certi & probabilis est relativa ad cognoscentem. Nam Deo, aut aliis omnia intuitivè videntibus, nil est probabile. Ergò quidquid ita excedit captum nostrum, ut à nobis certè sciri non possit; illud, si medio verè probabiliter comprobetur, tam quoad se quam quoad nos erit probabile. Quoad se quidem, quia non ficto, sed medio verè probabiliter innotescit, nec melius nobis innotescere potest. Quoad nos verò quia ita illud nobis innotescit per hoc medium, ut alià meliori ratione ad illius notitiam pervenire non possimus.

Necessaria  
sunt verè  
probabilia  
tam quoad  
se, quam  
quoad nos.

ASSERTIO III.

*Incongruum est definire, probabile esse illud quod ferè semper contingit, si voces strictè accipiantur.*

Probabile  
non rectè  
definitur,  
quod ferè  
semper con-  
tingit.

10. PROBATUR. Illa est definitio incongrua, quæ non satisfacit quaerenti, quid res sit, sed relinquit ultimam ejus differentiam dubiam, & adhuc investigandam. Talis esset definitio hominis, si diceres, homo est animal habens differentiam valde præclaram, quia differentia adhuc manet quaerenda, nec satisfacit intellectui, donec illa sine ambagibus expressè declaretur. At talis est definitio dicens, *probabile est quod ferè semper contingit*, si voces propriè sumantur; quia particula illa, *ferè semper contingit*, quæ exprimit differentiam rei definitæ, non habet sensum determinatum, nec satisfacit intellectui, quia magna latitudo est in verborum illorum significatione; nam ferè semper evenit, homines hisce temporibus mori ante annum 150. suæ ætatis, & tamen oppositum aliquando contingit. Quæritur ergò, ut determinetur, quæ & qualis frequentia & infrequentia requiratur in proportionem contingentia & non contingentia? An talis, qualem habemus in exemplo proximè posito? an major, an minor infrequentia requiratur & sufficiat? Imò, nisi determinatè explicetur, quæ & quanta frequentia & infrequentia determinatè includatur & excludatur, definitio est vitiosa. Ergò incongruum est definire probabile hoc modo, si voces strictè accipiantur, ut Celladeus contendit illas accipi debere.

Ratio 1.

11. Probatur secundò. Quæritur definitio opinionis probabilis, per quam scire possimus, an aliqua opinio sit probabilis necne? omnis enim alia definitio est inutilis, & inepta ad finem præsentis Tractatus. Sed hæc explicatio non est ejusmodi, quia eà instructi scire non possumus in particulari, an objectum hujus opinionis ferè semper contingat, idque non solum propter

indeterminationem termini *ferè semper* jam explicatam, sed etiam propter ipsam naturam rei, de qua quæritur; illa enim sæpè talis est, ut aut semper, aut nunquam contingat. Ergò non possum certò scire, quod aliquando contingat, nisi certò sciam, quod semper & necessariò contingat. At hoc secundùm certò scire non possum. Ergò nec primum. Ergò ex vi hujus definitionis non possum certò scire, an opinio sit probabilis. Ergò definitio est inutilis & inepta ad finem intentum, si verba accipiuntur ut jacent.

Ratio 3.

12. Probatur tertio. Multa etiam inter contingentia sunt probabilia, quæ tamen semper contingunt, seu quæ nunquam non contingant in sensu, quo proferuntur. Tales sunt istæ propositiones.

Multa contingentia sunt probabilia, quæ semper contingunt.

*Nullus Pater hujus pagi hodie occidet suum infantem. Aliquis hujus pagi mentietur intra biennium &c.* Dixi etiam inter contingentia, quia de necessariis res est protus indubitata ex secunda assertionem. Rursus multa tam contingentia quam necessaria sunt probabilia, quæ nunquam contingunt.

Multa item sunt contingentia, quæ nunquam contingunt.

De necessariis constat ex eadem assert. 2. de contingentibus patet, quia probabile est Petrum hîc & nunc loquentem non me decipere; quod tamen est falsum, & nunquam contingit esse verum, quia objectum est particulare individuum, quod semel tantùm & uno modo contingit. Ergò definitio non complectitur omnia probabilia. Et sanè cum non solum præmissa, sed etiam conclusio sit probabilis; imò conclusio maxime propriè sit & dicatur probabilis, procul dubio definitio illa bona non est, quæ omnes conclusiones probabiles non comprehendit. Hæc autem evidentissimè non comprehendit omnes,

Item multa, quæ uno solum modo & semel contingunt.

quia innumera sunt de materia necessaria, quæ aut semper aut nunquam contingunt; aliæ verisuntur circa individua peculiaria, quæ semel tantùm & uno modo contingunt; & talia sunt potissima, de quibus prudentia per consultationem discurret, ut in solvendis peculiaribus conscientiarum casibus v.g. an hîc & nunc vovens habuerit intentionem se obligandi, & alia innumera ejusmodi, quæ solum uno modo se habent, nec aliter & aliter contingunt. Idem dico de conclusionibus artis, ut quando medicus infert Calliam hîc & nunc tali morbo laborare &c. Hæc enim omnia uno tantùm modo contingunt, ideoque dicere de illis quòd plerumque contingant, vel falsum est, si nunquam ita se habent, vel de subiecto non supponente, si ita se habeant.

Multa plerumque contingunt, quæ non ferè semper eveniunt.

13. Demùm certissimum est, multa plerumque contingere, & eo nomine esse probabilia, de quibus etiam certum est, quod non ferè semper contingant, sed satis frequenter non eveniant. Talia sunt, quod non decipiar ab hominibus ferò mecum tractantibus; non enim ferè semper non fallunt, sed satis frequenter mentiuntur; quia tamen plerumque non mentiuntur, ideo illis prudenter, seu probabiliter credo; quod enim plerumque ita se habet est probabile, etsi non ferè semper ita se habeat.

14. Dices. Nónne Aristoteles expressè definit probabile esse, quod ferè semper contingit? Quomodò ergò audemus Celladeum, Aristotelis auctoritate munitum, impugnare?

Celladeus non videtur rectè citare Philosophum.

Respondet Celladeum minùs fideliter citasse Aristotelem, dum dicit, illum lib. 1. Rhetor cap. 2. definivisse probabile esse, quod ferè semper contingit, cum ibi solum dixerit, *probabile est, quod plerumque sit*, ita enim habet verio latina, qua utor, Lutetiarum Parisiorum anno 1619. typis regii impresse, & græca vox *επιτορολό*, quæ Philosophus

seipsum exprimit, strictè ac propriè non significat *ferè semper*, sed dumtaxat *plerumque*, seu ad litteram in multis, aut ad summum in pluribus, ut græca linguæ mediocriter peritis est notorium. Afferat ergò Celladeus Interpretem, apud quem lectionem hanc invenit, ne in re summi momenti sensum Philosophi alterasse videatur. Certè quoad præsentem questionem summi momenti est scire, Aristotelem & antiquos non requisivisse ad probabilitatem, ut ferè semper res ita se habeat, seu ut non nisi in casu rarissimo (est hæc alia Celladei expressio) contingat rem aliter se habere, sed judicasse ea esse probabilia, quæ plerumque eveniunt.

15. Itaque Aristoteles in omnibus istis locis reipia idem exprimit, illudque dicit esse probabile, quod plerumque contingit. Nec alia est diversitas, nisi quòd in Rhetoricis & in lib. priorum utatur termino positivo *επιτορολό*, cum in aliis locis suorum operum utatur termino comparativo *επι το πλέον*; certissimè autem constat, terminum illum comparativum nec solere, nec posse, nec debere aliter verti, quam *plerumque*, seu *in pluribus*. Ergò absurdissimum est, positivum ipsum *επιτορολό* vertere *ferè semper*, quod vix convenit superlativo *επι το πλείον*, quod aliud non significat, quam ut *Plurimum*, seu *in plurimis*. Tantum ergò abest, ut locus ille ex Rhetoricis majorem frequentiam significet; quam alii textus, qui de plerumque contingentibus loquuntur, ut certum sit, quod magis positivum significationem habeat & sensum magis restrictum, quam phrasæ, quas in aliis locis Philosophus adhibet, ad significandum id, quod plerumque evenit. Nec dubium, quin hæc vera sint, si termini in propria ac pressa significatione accipiuntur, in qua sola Philosophi, qui propriè ac pressè loquuntur, eas accipiunt. Verùm hoc non obstat, quòd minùs Poætæ & Rhetores eisdem terminis in sensu ampliori utantur, & positivum aut comparativum aliquando adhibeant pro superlativo, sicut frequenter utuntur superlativo, ut positivum cum majori energia significet. Et hoc modo dubitandum non est, quin terminus *επιτορολό*, aliquando sumatur pro superlativo, & significet ut *plurimum*, seu *in plurimis*, vel etiam, si velis, *ferè semper*. Sed hoc nil facit ad præsens institutum, & ad propriam & strictam significationem vocum, quatenus à Philosophis, & maxime ab Aristotele, qui strictissimè loquuntur, adhiberi solent.

16. Neque tamen ita intelligendus est Philosophus, quasi dicat sola contingentia esse posse probabilia; & ex contingentibus ea dumtaxat, quæ cum aliquando eveniant aliquando non eveniant, plerumque contingunt, ut Celladeus arbitratur; hoc enim certò falsum est, nec quisquam melius novit sensum Aristotelis, quam Aristoteles ipse. Ipse autem 1. Post. cap. 24. postquam docuerat, scientiam de necessariis, quibus repugnat aliter se habere, & opinionem de iis, quæ possunt aliter contingere, objicit sibi contra hanc doctrinam, unum habere opinionem de eadem re, de qua alius scientiam habet, quo stante, sequitur, vel scientiam esse de contingentibus, vel opinionem de necessariis. Huic argumento respondens Philosophus, admittit antecedens ut indubitatum, sed negat consequentiam, quia res necessaria aliter apparet scienti, aliter opinanti. Scienti ex vi mediæ scientificæ representatur tanquam non potens aliter se habere. Opinanti autem ex vi mediæ opinativæ non apparet tanquam non potens aliter se habere, sed vel formaliter, vel

Aristoteles ubique dicit de probabilibus.

Aristoteles tenet necessarium esse probabile.

vel æquivalenter apparet intellectui ut contingens, seu ut; quantum scimus, potens aliter se habere. Ex quo solum sequitur, idem non posse simul esse scitum & opinativum respectu ejusdem intellectus; quod Aristoteles ex professo tradit esse verissimum.

Celladeus Aristoteli contrariatur. 17. Hinc habemus, realem contingentiam objecti non requiri ab Aristotele, ut opinionem terminet, sed apparentem ex vi motivi opinativi, & ex modo representandi sufficere. Certum enim est, eum admittere opinionem veram, ac bene fundatam de rebus, quæ in seipsis necessariae sunt, modò quoad nos sint contingentes, & appareant lumine non certificante nos. quod ita se habeant. Ergò dicere, nullas res necessarias, sed solum res realiter contingentes esse probabiles, aperte repugnat Aristoteli. Cui proinde Celladeus contrariatur, dum veram probabilitatem rebus dumtaxat contingentibus tribuendam esse docet.

Definitio hæc completitur omnino probabilis. Si rectè explicetur. Si dicitur litteram sumatur, non completitur omnino probabilis. 18. Itaque si quis crudè insistat terminis, quibus Aristoteles locis citatis probabile exponit, illosque non aliter intelligi velit, quam ut ex primo auditu sonant, vel dicendum erit, eum non intendisse definire omnia probabilia, sed solum ea, quæ sumuntur ut principia, ex quibus probabiliter discurremus, quæque proinde sunt magis notoria, & ab omnibus sciuntur, ideoque sunt primum analogatum, ad quod respicimus, quando declaramus aliquid esse probabile. Hæc autem interpretatio in eo fundari potest, quòd definierit probabile, quo Rhetores in suis argumentis utuntur. Rhetores autem circa facta peculiariter verari solent, quæ aptius probari non possunt, quam ex eo, quod omnes norunt plerumque contingere: vel certè definitio ista aliter intelligenda est, quam primo aspectu apparet, modò admittatur esse generalis definitio omnium probabilium. Ego illam, ut universalem, ac prorsus legitimam amplector, sed simul ex indubitata Philosophi mente dico, illam ita intelligendam esse, ut frequentior rei contingentia desumenda non sit ab objecto materiali; quod denominatur probabile; hoc enim sapissimè est prorsus necessarium, & non potest aliter se habere; sæpè est singulare, & uno tantum modo contingit se habere, quod proinde non est capax denominationis in definitione posita. Itaque definitio hæc præse solum convenit probabili formaliter sumpto, quatenus reduplicat apparentiam, per quam constituitur probabile, ut sensus sit, illud est probabile quod tantà verisimilitudine representatur, ut plerumque eveniant, quæ sub æquali veritatis apparentia representantur, quamvis non sit necesse, omnia tali apparentiâ representata esse vera, sed aliquando contingat ea esse falsa. Itaque forma concreti Probabile potissimè explicatur in hac definitione, & explicatur quidem in ordine ad terminum, quem unaquæque probabilitas ex vi suæ magnitudinis vagè exigit poni in plerisque. Quamvis enim aliqua peculiaris probabilitas hæc & nunc à veritate aberret, illa tamen ex vi suæ magnitudinis est necessitas vaga, ut quæ pari verisimilitudine representantur, plerumque contingant. Nec dubium, quin Aristoteles ad vim & magnitudinem hujus representationis potissimè respexerit, tum quia verba ipsa id satis expressè insinuant, tum quia expressè admittit probabilitatem de necessariis, quæ etsi sint necessaria in se, non tamen apparent ut prorsus necessaria, sed potius exercitè representantur, ut potentia aliter se habere, quantum est ex vi luminis quo representantur, quæ ideo sunt probabilia.

19. Hinc apparet, cur Aristoteles dixerit, non sufficere ad probabile, quod simpliciter plerumque ita se habeat, ut aliqui dicebant. Ratio est, quia hæc expressio, ut jacet, convenit omnibus evidentibus, quæ non sunt probabilia. Itaque ad probabilitatem requiritur ulterius, ut sit de iis, quæ possunt aliter se habere, quantum est ex vi luminis, quò representantur. Atque hinc omne probabile determinatum comparatur ad terminum proprium apparentiæ probabilis, tanquam singulare ad universale. Terminus enim, in ordine ad quem apparentia probabilis explicatur, est tota collectio rerum sub æquali verisimilitudine apparentium, quæ collectio est universale respectu ullius objecti particularis, ut patet. Et hoc planè coincidit cum eo quod Aristoteles dicit i. Rhetor cap. 2. jam citato. Probabile est, quod plerumque fit, non tamen simpliciter, ut quidam definiunt, sed quod in iis, quæ contingit aliter se habere, sic se habet ad illud, ad quod est probabile, sicut universale ad particulare. Hic textus, junctus doctrinæ ex 1. 1. off. cap. 24. allatæ, & reliquis ponderationibus, convincit, definitionem Aristotelis à nobis hinc ritè explicatam esse; Philosophumque hæc dubiè nobiscum sentire in assertionibus hæc quaestione hæc tenus stabilitis. Præterea, si universaliter loquamur, ut nunc loquimur, res probabilis, seu id quod representatur lumine magno sed incerto, non potest comparari ad suum motivum, tanquam singulare ad universale, eâ ratione quam Celladeus indicat, aut ullâ aliâ præter illam, quam jam insinuavi, ut ex assertionem sequenti constabit.

ASSERTIO IV.

Ad probabilitatem conclusionis non est necesse, ut motivum, quo probatur, sit universale conclusionis. Seu ut antecedens comparatur ad consequens quod probatur, tanquam universale ad particulare, in sensu quem Celladeus proposuit.

20. PROBATUR primò. Motivum, ex quo conclusio deducitur, non est sola major aut minor, sed utraque præmissa, per modum unius sumpta, est proprium motivum conclusionis, seu proprium antecedens, ex quo consequens deducitur, sed hoc complexum non magis latè patet, quam ipsum consequens, nec comparatur ad illud tanquam universale ad particulare, quia termini consequentis positi in præmissis ita limitant sensum illarum propositionum; ut illæ simul sumptæ non possint applicari alteri, quam consequenti, ut patet. Ergò, præse loquendo, motivum conclusionis probabilis non potest esse universalis ipsâ conclusione. Verum quidem est medium terminum, solitariè sumptum, solere habere sensum universaliorem, quam aliquis ex terminis positus in conclusione; sed hoc non est ad rem: nam medius terminus solitariè sumptus, nec est motivum conclusionis, nec antecedens ex quo inferitur consequens nec medium, quo intellectus propriè utitur ad faciendam illationem, sed hoc motivum, & hoc antecedens est medius terminus actu in præmissis distributus. At ut sic distributus non magis latè patet quam consequens. Idem valet de principio universaliiori, si aliquando adhibeatur in præmissis; illud enim secundum se est universalis conclusio; at secundum se non est motivum, aut medium sufficiens ad inferendam conclusionem, nec

Plerumque contingere non sufficit ad probabile.

Motivum conclusionis probabilis non est necessitò universalis ipsâ conclusione.

compara-



cum motivo probabili. Ergo eadem de utrisque verificatur. At absurdum est, quod ea, quae Celladeus proponit, applicentur probabilibus. Ergo absurdum pariter est, si motivis gravibus, magnis &c. applicentur.

Celladeus in vocis communis intelligentia ab omnibus recedit.

24. His positis, Assertio indubitata redditur, & probatur secundo, quia in definitione vocum absurdum est à communi omnium sensu recedere, & sine ullo comite propriam imaginationem, aliis omnibus repugnantem, pro legitima vocis significatione proponere. At certum est, omnes in eo convenire, quod vera probabilitas aliquando cohaereat cum falso, quod vera probabilitas certo cognosci possit, veritate rei latente, quodque proinde vera probabilitas proponi possit ut regula certo discernibilis. Ergo absurdum est in intelligentia hujus vocis à communi omnium sensu recedere, & ex propria phantasia aliam prorsus contrariam proponere. Absurda proinde est explicatio & definitio probabilitatis verae à Celladeo proposita, quae expressè asserit, nil nisi verum esse probabile, sed omnia falsa habere probabilitatem solum phantasticam; apparentem, vanam, sophisticam, nullam. Stat ergo hanc Celladei definitionem & falsam esse, & insufficientem. Falsa est, quia exponit insufficientem vocis communis contrarium, sensum, & consensum omnium. Ergo patenter aberrat. Est insufficientis, quia non regulam, seu regulam indiscernibilem proponit pro regula. Errat etiam ex alio capite, quia illud solum admittit pro motivo probabili, quod ferè semper connectitur cum vero, nec contentus est, quod plerumque non fallat. Hoc autem hic asser. 3. falsitatis convictum est. Quae cum ita sint, quis antiquae regulae, clarissimae, ac rationabilissimae renunciabit, ut novam regulam, non solum in omnibus particulis falsam, sed absolute indiscernibilem amplectatur?

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objeccio I. 25. **O**BJICIT primò. In syllogismo dialectico & topico nunquam assumitur medium indifferenter se habens ad verum & falsum, sed requiritur saltem, ut plerumque ita se habeat. Unde Aristoteles 2. Prior. cap. 27. ( sed juxta alios 28 ) dicit pallidum non esse medium ad probandum mulierem peperisse, quia tametsi omnis, quae peperit sit pallida, non tamen omnis pallida peperit, quia satis frequens est, pallidas esse, quin pepererint. Hinc sequitur, utrumque contradictorium non posse esse simul probabile, quia pro contradictoriis nunquam est medium plerumque ita se habens. Similiter sequitur, nullum esse syllogismum illorum, qui probant chocolatem esse potum, assumendo liquidum aut calidum pro medio, quia haec media se habent ad potum & non potum, sicut pallidum ad peperisse & non peperisse. Ita Celladeus lib. 2. quaest. 16. §. 1. unde videtur sequi, probabile non esse, nisi quod ferè semper fieri solet.

Responsio. Respondeo, medium syllogismi probabilis debere quidem apparere frequentius connexum cum vero quam cum falso, non autem requiritur, ut reipsa frequentius connectatur cum vero quam cum falso, si sermo sit de ipso objecto, quod per illud hic & nunc est & apparet probabile, ut constat. Hinc autem è contrario clarè sequitur, utrumque contradictorium esse posse simul probabile diversis saltem intellectibus, cum duo objecta opposita inferri possint ex mediis, quorum alterum uni, alterum alteri apparet frequentius con-

nexum cum vero quam cum falso, ut dictum est quaest. 29. Quòd si contradictoria eidem intellectui comparentur, illa etiam possunt esse simul probabilia ipsi. Hoc quomodo eveniat, fusè explicatum est quaest. 29. jam citatà, & idem facile colligitur ex expositione definitionis Aristotelicae supra num. 18. allata. Fieri enim potest, ut utraque pars contradictionis simul proponatur tantà verisimilitudine, ut unaquaeque illarum ex vi suae magnitudinis sit necessitas, ut intellectus plerumque non erret, si talem apparentiam sectetur. Quamvis ergo repugnet, intellectum simul existimare, hoc objectum peculiare ita se habere, ut utraque pars contradictionis plerumque contingat, non tamen repugnat, eundem intellectum simul judicare, apparentiam utriusque partis postulare veritatem frequentius connecti cum apparentia tantae magnitudinis. At per hoc utraque pars simul constituitur probabilis respectu ejusdem intellectus. Porro Celladeus & Cardinalis Pallavicinus, quem hic citat, in eo errasse videntur, quòd cum adverterent, utramque contradictionis partem, nec in re, nec in mente nostra posse simul plerumque contingere, intulerint, utramque non posse esse simul probabilem eidem intellectui, cum definitio probabilis utriusque simul non conveniat. Verum decepti sunt tribuendo id objecto materiali, seu subjecto concreti probabile, quod soliformae convenit; quae si distinctissimè, vidissent utique, quòd sicut probabilitas unius partis determinatè sumptae non sumitur à frequentiori contingencia illius partis, sed solum à frequentiore connexionione veritatis cum magnitudine apparentiae, sub qua representatur; ita pariter utriusque partis probabilitas non à prima, quae dari nequit, sed à secunda, quae dari potest, & saepissimè datur, desumitur. Haec cogitet Lector, & videbit, utramque partem contradictionis simul esse posse verè probabilem, & talem uni eademque intellectui apparere.

Quomodo utraq; pars contradictionis sit simul probabilis eidem intellectui?

26. Interim Celladeus haud fideliter citat Aristotelem, quia Philosophus aliud loco illo non dicit, quam quòd pallidum non sit medium aptum ad probandum in secunda figura, feminam uterum gestare. Nam quòd omnis uterum gestans sit pallida, & haec sit pallida, non sequitur uterum gestare; quod verissimum est, quia nulla conclusio affirmativa legitime sequitur in secunda figura. Neque quidquam ibi dicitur de frequentia magna aut parva, quòd pallidae uterum non gestent; quare illa omnia à Celladeo assuta sunt, quasi Aristoteles illo loco ea diceret, de quibus ne quidem somniavit. Ceterum si saepius contingeret, pallidas gestare quam non gestare uterum, haud dubiè Aristoteles non negasset ex pallore probabiliter inferri gestationem uteri in prima figura, quamvis saepè contingeret pallidas non gestare uterum; quia ubique in illis libris aliud non requirit ad medium probabile, quam quòd plerumque contingat, nec ullibi insinuat, quòd quaevis probabilia debeant rarissimè aliter se habere.

Celladeus minus fideliter citat Aristotelem.

27. Atque hinc etiam sequitur, Celladeum immeritò carpere Theologos, qui ex liquido, aut calido tanquam ex medio probant chocolatem esse potum, tum quia ex Aristotele solum sequitur, talia praedicata non esse media ad illam conclusionem affirmativam legitime probandam in secunda figura. At quid inde? an ideo non sunt media apta ad illam probandam in aliis figuris? Nugae. Praeterea, non satis est Celladeo, si dicat, liquidum ita prorsus se habere ad potum, sicut pallidum ad gestare uterum. Est, fateor, aliqua simili-

Celladeus immeritò carpit Theologos quasi male arguunt.

similitudo; sed nisi probet, liquidum non magis connecti cum potu, quam pallidum cum gestatione uteri, illatio contra Theologos, quos ibi carpit, est prorsus nulla. At certum videtur, longè majorem connexionem esse inter liquidum, ab homine ebibi aptum, & potum propriè dictum, quam inter pallidum & uterum gestare. Unde prima consequentia esse potest probabilis, quamvis secunda non sit. Præterea Theologi non ex uno solùm prædicato, sed ex multis simul sumptis inferre possunt chocolatem esse potum, & conclusio erit probabilis, quamvis illa ex singulis seorsim probabiliter inferri nequeat, sicut ex pallido unà cum alio signo probabiliter inferitur gestatio uteri, quamvis illa ex neutro solo probabiliter inferri possit. Hæc dicta sunt ad inconsequentiam Celladei redarguendam, non ad affirmandum chocolatem esse potum, quia ego, qui tali potioni non affuevi, nec rem examinavi, de tali re iudicium non fero. Cæterum hinc constat, ultimam illationem argumenti nullatenus sequi ex præmissis, quæ aut falsæ sunt, aut certè inconnexæ cum eo, quod nil sit probabile, nisi ferè semper contingat.

**Obiectio 2.** 28. Obijcit secundò. Probabile simpliciter dictum coincidit cum opinabili simpliciter dicto. At quæ æqualiter se habent ad verum & falsum non sunt opinabilia; qualia sunt omnia æquè probabilia. Ergò nil ejusmodi est probabile. Rursus si aliquid parum magis se habet ad verum quam ad falsum, erit suspicabile quidem, aut conjecturabile, non autem opinabile. Ergò omne opinabile ita se habet ad esse, ut plerumque & ferè semper contingat. Ita Celladeus §. 2.

**Probabile non coincidit cum opinabili.** Respondeo juxta dicta hic *num 8.* omne probabile esse opinabile, sed non è converso, quia multa sunt propriè opinabilia, quæ probabilia non sunt, ut ostensum est loco citato. Quòd autem ait, ea non esse opinabilia, quæ æquè se habent ad verum & falsum in aliquo sensu verum est, in alio est falsum. Tunc verum est, quando hæc indifferentia consistit in negatione motivorum allicientium, tunc enim intellectus de neutra parte valet opinari; at si utraque pars per motiva æqualia representetur, intellectus ex imperio voluntatis selecti potest ad opinandum de quovis seorsim sumpto. Verùm in eo casu post affectum seu imperium voluntatis, & multò magis consequenter ad iudicium uni parti affixum, pars illa videtur verisimilior alterâ; etsi in actu primo ante dictum voluntatis affectum intellectus æqualiter prorsus traheretur ad utramque partem. Hæc omnia efficaciter probata habes in superioribus.

**Omne quod magis apparet verum quam falsum est opinabile.** 29. Quæ sequuntur jam soluta sunt. In primis in illis confunditur connexio realis cum connexionem solùm apparente de plerumque. Hæc requiritur, illa ad probabilitatem non requiritur, ut dictum est. Celladeus autem probare debebat reallem illam connexionem necessariò requiri ad probabilitatem, quod certè ex argumento non sequitur. Jam si aliquid appareat frequentius connecti cum vero, illud non solùm est suspicabile, sed propriè opinabile, & multi de talibus opinantur. Quòd si contendas, excessum valde exiguum, si de illo constet, non sufficere ad iudicium probabile, id non nego, quia probabilitas non desumitur ab objecto, quod proponitur, ut mox evincam, sed à modo, quo objectum proponitur. Itaque cum lumen, quo res proponitur, in hoc casu exiguam fundet spem determinati eventus, apparentia illa tanta non est, ut ex vi suæ magnitudinis plerumque conjungatur cum veritate,

ideoque non sufficienter sollicitat intellectum, ut mereatur assensum; quamvis intellectus ex imperio voluntatis temerè saltem præcipitari possit in assensum objecti sub minimo veritatis apparentis excessu. Cæterum ad assensum prudentem & probabilem sufficit, si aliquid certò appareat ut plerumque contingens ex vi illius luminis, quo representatur, quamvis objectum nec ita se habeat, nec ita videatur se habere ad verum, ut ferè nunquam à vero deficiat.

30. Est & alia æquivocatio frequens apud Celladeum, quia supponit fundamenta opinionum æquè probabilium non magis se habere ad verum, quam ad falsum, quod tamen est falsum, ut constat ex dictis *quæst. 29. & 30.* Nec opus est ibi dicta repetere.

31. Obijcit tertio. Omnia objecta reducuntur ad tres classes. Prima classis est eorum, quæ semper ita se habent ex necessitate, qualia sunt prima principia Metaphysica ac Mathematica, & omnia ex illis demonstrata. Secunda classis est eorum, quæ semper ita se habent sine necessitate assignabili in ullo determinato individuo illius speciei, de qua propositio procedit. Ejusmodi est, omnes patres non occisuros esse suos filios &c. Tertia classis est eorum, quæ non semper ita se habent, Probabilia non continentur in duabus primis classibus, ut omnes concedunt, & supponunt. Ergò continentur solùm in tertia classe. Verum hæc tertia classis tria membra habet. Aliqua enim non magis se habent uno modo, quam alio, sed æquè frequenter contingunt non esse ita, ac esse ita. Sic in jactu alexæ se habet numerus par & impar; uterque enim æqualiter se habet, ut jaciatur, & non jaciatur, ut patet. Alia magis se habent ita quam non ita, non tamen adeò quin frequenter non ita se habeant. Alia demùm non semper, sed ferè semper ita se habent, ut senes canescere. Jam duo priora membra non continentur probabilia: non primum, quia talia objecta sunt merè fortuita, casualia, ac contingencia. Non secundum, alioquin si ex centum militibus, quadraginta essent promiscuè eligendi, ut urbem aggredierentur, esset probabile Petrum non esse determinatè eligendum ad urbem aggrediendam, quod nemo prudens absolute crederet. Ergò probabile pertinet solùm ad tertiam membrum, & consequenter probabilitas dumtaxat reperitur in eis, quæ ferè semper se habent uno modo. Itaque vera & realis probabilitas non aliter definiri potest, quam quòd objectum illud ferè semper ita se habeat.

32. Quod dictum est de hoc objecto, seu de vera probabilitate in se, æquè valet de probabilitate quoad nos: si enim objectum appareat ut semper ita se habens, existimatur certum; si ut prorsus indifferens, reputatur casuale; si parum magis inclinatum ad unum, habetur tanquam leviter suspicabile; si vero appareat ferè semper uno modo se habere, tunc est propriè opinabile ac probabile quoad nos. Ita Celladeus §. 3. qui toto §. 4. id ipsum confirmat ex doctrina S. Thomæ *lib. 1. Perih. lect. 14.* ubi dicit, omnia, ex suppositione quòd ita se habeant, necessariò ita se habere. At si nulla fiat suppositio, esse rerum creaturarum est necessarium vel contingens, prout fuerit causa illius. Si enim in causa habeat totalem determinationem ad esse, dicitur necessarium; si habeat totalem determinationem ad non esse, dicitur impossibile; & hæc pertinent ad certa. Si non habeat determinationem nec ad esse nec ad non esse, erit contingens, sive se habeat magis ad unum quam ad alterum, sive æqualiter ad utrumque.

33. Idipsum

Futura tri-  
pliciter con-  
tinentur in  
sua causa.

33. Idipsum confirmat ex doctrina, quam Sanctus Thomas lect. 12. in eundem librum tradit de futuris. Quod est in presenti habet esse in seipso, & ideo verè potest dici de eo, quod est. Sed quamvis aliquod est futurum, nondum est in seipso, est tamen aliquoties in sua causa. Si sit in sua causa, ut ex necessitate ex illa proveniat, tunc determinatè habet esse in sua causa; unde determinatè potest dici, quod erit. Si sit in causa habente inclinationem ad effectum, quæ tamen impediri potest, jam determinatum est in sua causa, sed mutabiliter. Et de hoc verè dici potest, quod erit, sed non per omnimodam certitudinem. Demùm aliquid est in sua causa purè in potentia, quæ non est magis determinata ad unum quàm ad aliud: unde relinquatur quod de nullo tali potest dici, quod sit futurum, vel non sit futurum. Hanc S. Thomæ doctrinam applicat Celladeus ad suum intentum probandum hoc modo. Medium, quo probamus conclusiones, vel habet totalem determinationem ad conclusionem, & tunc generat assensum certum conclusionis. Vel medium habet inclinationem vel determinationem aliquam, non tamen totalem, sed impedibilem, & tunc verè dici potest de conclusione quod ita est, sed non per omnimodam certitudinem, & sic erit conclusio opinativa, seu dialectica. Vel medium non magis se habet ad conclusionem quàm ad contrarium, & tunc de conclusione non habetur quod ita sit vel non sit, nihil enim determinatè habetur. Ergò nil est probabile, quod non subest medio plerumque ita se habenti, ut rarò & ferè nunquam deficiat.

An sit per-  
inde habere  
duo motiva  
æqualia, ac  
nullum mo-  
tivum?

34. Ex eodem futurorum exemplo sequitur, perinde esse intellectui ad eliciendam conclusionem, sive habeat nullum motivum, sive habeat duo æqualia, sed sibi contradictoria. Sit homo æqualiter ambiciosus & avarus. Hic homo habet stimulos contrarios æquales, unum ad expendendum, alter ad retinendum. Profectò futura ejus donatio erit purè contingens & nobis ignota. Ergò similiter si intellectus habeat duo motiva æqualia & contraria, veritas rei propositæ erit æquè ignota, ac si nullum adesset motivum, quia non magis poterit existimare objectum illud esse verum potius quàm falsum, quàm possit credere hominem illum potius daturum, quàm non daturum pecuniam. Ita Celladeus.

Primus  
Celladei er-  
ror.

35. Respondeo, plurimos in dictis istis errores latere. In primis, falsum est, omnes agnoscere probabilia non contineri in primis duabus classibus; certum enim est contrarium ab omnibus & supponi & doceri; omnes enim Auctores fatentur, se probabiliter tantùm judicare de multis, de quibus tamen nõrunt, quod habeant omnimodam determinationem aut ad esse, aut ad non esse ita. Ergò talia objecta & sunt, & habentur probabilia apud ipsos. Ratio à priori est, quia esse certum, esse probabile, esse dubium &c. sunt denominationes non rerum in seipsis (omnia enim in seipsis æquè certa sunt certitudine objectivâ, quia æquè terminare possunt cognitionem certam, si lumine congruo cognoscantur) sed rerum relatè ad intellectum, prout ipsi proponuntur. Si tali apprehensione proponantur, ut intellectus omnimoda necessitate rapiatur ad assensum, sunt & dicuntur evidentiâ. Si ita proponantur, ut summa eorum credibilitas super omnia negari non possit, quamvis assensus rebus ipsis dandus suspendi possit, ut contingit in rebus fidei, tunc sunt certa, & certissima fidei credi possunt, ac debent. Si verò proponantur lumine inferioris rationis, erunt incerta, idque magis vel minus, prout propositio illorum. R. P. A. Terilli, Regula Morum PARS I.

Esse certū,  
esse proba-  
bile, esse  
dubium,  
sunt deno-  
minationes  
relativæ.

rum fuerit magis vel minus clara, vel obscura. Hæc ratione aliquando sunt probabilia, aliquando suspicabilia, aliquando merè dubia. Jam cum certum sit, multa in se prorsus necessaria non posse à nobis ita cognosci, ut de eorum existentia aut natura certi esse possimus, clarum est ea nec esse, nec posse evadere certa. Eadem tamen proponi possunt (etiam sub hac ipsa expressione quod sunt, quodque necessariò & inevitabiliter ita se habeant) per lumen inferius, à quo varias denominationes sumere possunt, probabilis, suspicabilis, aut dubii, prout lumen, quo proponuntur, fuerit majus aut minus &c. Itaque haud dubiè probabile est denominatio, quæ tam propriè convenit necessariis, quàm contingentibus. Sicut enim, si contingentia certò & evidenter cognoscantur in seipsis, non sunt amplius probabilia certa; ita si necessaria non certo sed incerto lumine repræsententur, non erunt certa, sed incerta, & sic esse possunt probabilia.

36. Quod ad tertiam classem attinet, in illa etiam Celladeus erravit. Nam sicut necessaria possunt esse probabilia, ita quæ non sunt necessaria, sed plerumque & ferè semper uno modo contingunt, & possunt esse, & toties verè sunt improbabilia, quoties ob rerum difficultatem, aut aliam causam, tantà verisimilitudine proponi non possunt, quanta ad probabilitatem requiritur. In tali enim casu, quæ plerumque & ferè semper contingunt, non sunt probabilia, sed aut incerta, aut solum suspicabilia, vel ad summum temerè opinabilia. Porro Celladeus in eo æquivocat, quod quando aliunde certò scimus aliquid plerumque aut ferè semper ita se habere, tunc de singularibus probabiliter enunciamus, quod ita se habeant, dummodo de illis aliam noticiam non habeamus, quàm quæ fundatur in natura causarum, à quibus procedunt: nam si experimentalem noticiam haberemus de tali re, aut ex auctoritate sciremus illam non esse, eo ipso probabilitas cessaret. Itaque quod res sit in classe eorum, quæ non semper sed ferè semper contingunt, aut eorum, quæ æquè frequenter aut paulò frequentius contingunt quàm non contingunt, impertinenter se habet, ut sit probabilis, certa, vel improbabilis; omnia enim ista denominationem suam habent à modo, quo res proponitur, non ab objecto quod proponitur, ut pater. Quod si aliunde constiterit, rem contineri in aliquo membro istius classis, & aliam de illa notionem non habeamus, eo ipso res illa substat determinatè propositioni, & consequenter denominatur probabilis, vel suspicabilis, prout propositio pro sua varietate ac natura postulaverit.

Secundus  
error Celladei.

Æquivocatio  
Celladei detegitur.

37. Ex hisce omnibus inferitur, Celladeum falsò contendere, veram probabilitatem solum desumendam esse ab objecto, quod dicitur probabile; cum luce clarius sit, illam non ab objecto, sed à sola propositione objecti desumendam esse. Ratio est, quia objectum in se non est magis certum quàm dubium, magis probabile, quàm improbabile, sed ad omnia ista est prorsus indifferens. Ergò istæ denominationes non ab objecto ipso, sed ab illius propositione desumendæ sunt.

Esistenti  
errori

38. Circa exemplum de Petro milite, Celladeo non consentio; peto enim in qua tandem rerum illarum proportione sistendum est, ut probabile sit Petrum non eligendum ad aggressionem. Quid si solum decem, aut quinque eligendi essent? nõnne tunc foret probabile, Petrum non eligendum? haud dubiè foret; & tamen electio Petri in tali casu non est res, quæ ferè nunquam contingit.

Exemplum  
Celladei fa-  
cit contra  
ipsum.



Certe de illo, quod ex centum vicibus decies aut vigesies contingit, dici nequit quod vix unquam eveniat. At de illo dici potest quod sit probabile, ut omnes fatentur, & infra ex ipsius Celladei argumentis evincam. Ergo ad probabilitatem non requiritur, ut res ferè semper contingat, seu quod ferè nunquam aliter se habeat. Itaque casus à Celladeo propositus, qui continet rationem trium ad duo; aut continet infimum quandam probabilitatis gradum, aut ad eum proximè accedit; certe nemo est, qui non libenter sponderet in ludo, si triplo plus spei eluceret pro lucro, quam timor apparet de damno. Immo nemo non prudenter existimaret, se primà vice lucraturum. At non potest ita prudenter judicare, nisi victoria esset ipsi probabilis.

39. Vidimus Celladeum in multis errasse circa objectum, quod propriè est, & vocatur probabile; nunc addo, illum non minùs errasse circa objectum, quod nobis apparet probabile, & ab ipso vocatur probabile quoad nos. In primis dicit, objectum illud existimari certum, quod apparet tanquam semper ita se habens. Hoc certò falsum est; quia multa objecta solum probabiliter apparent ita se habere ex omnimoda necessitate, ut in innumeris quæstionibus Philosophis ac Theologicis videre est. In hoc casu objecta illa videntur vera, & quidem veritate inalterabili; sed nec sunt, nec videntur nobis esse certa, quia non proponuntur lumine certo, sed solum incerto. Itaque ad existimandum aliquid esse certum, plus requiritur quam existimare illud ita esse, & non posse aliter se habere; nempe requiritur, ut ratio, seu lumen manifestans hanc veritatem sit certum, & omnem formidinem contrarii excludat.

40. Secundò dicit, illud esse probabile, seu opinabile quoad nos, quod apparet ferè semper uno modo se habere. Hoc dictum dupliciter intelligi potest: primò, ut sensus sit iste. Illud est probabile quoad nos, quod nobis videtur ferè semper ita se habere per apparentiam certificantem nos quod ferè semper ita se habeat. Et hoc est verum; quia apparentia illa simul repræsentat objectum capax talis denominationis, & formam, à qua talem denominationem accipit. Secundò, potest hunc sensum habere. Illud est probabile quoad nos, quod quomodocumque apparet ferè semper ita se habere; & hoc falsum est, quia hoc ipsum ex levissima tantum conjectura appariere potest, in quo casu illud non est probabile quoad nos, quia non possumus prudenter præsumere quod ita se habeat sicut apparet. Apparet quidem prædicatum illud, quod quoties certò innotescit clarè monstrat principale analogatum inter probabilia, & ideo videtur apparere probabile, quia locutio procedit ac si debita rei innotescencia simul appareret & constaret. At hoc non est necessarium; imò oppositum contingere potest, ut constat. Unde habemus, nec veram, nec apparentem probabilitatem, aut certitudinem consistere in solo objecto; quia sive objectum ex necessitate ita se habet, sive ferè semper ita contingit, non ideo est certum aut probabile, nisi tali determinatà ratione proponatur. Similiter etsi appareat non posse aliter se habere, aut plerumque ita se habere, non ideo apparet certum aut probabile, nisi modus, quo taliter apparet, etiam repræsentetur. Itaque Celladeus in omnibus, quæ ad essentiam veræ probabilitatis pertinent, à veritate aberrat.

Nec vera, nec apprens certitudo sumitur ab objecto, quod apparet.

S. Thomas non favet Celladeo.

41. Quod ad S. Thomam attinet, ille verissimam doctrinam tradidit in utroque loco; sed do-

ctrina illa Celladeo non favet. Prima auctoritas loquitur de necessariis, impossibilibus, & contingentibus, quæ sunt denominationes reales nullam dicentes relationem ad intellectum, aut ullam earum apparentiam ac repræsentationem. At ex hoc non sequitur, has denominationes coincidere cum certo & probabili, quæ sunt denominationes relativæ ad intellectum, & objectis immutatis variari possunt.

42. Secunda auctoritas in nullo prodest, in multis obest Celladeo. Non prodest, quia Sanctus Thomas loquitur ex suppositione, quod res vel cognoscatur sufficienter in seipsa, vel certè quod modus, quo continetur in causa, sufficienter innotescat. Nam nisi ista cognitio præcesserit, quæ dicit affirmari non possunt. Itaque locus hic ex hoc capite obstat Celladeo, quia denominationes istæ non desumuntur ab objectis solis, vel earum causis, sed à modo, quo causæ in quibus continentur innotescunt, cum Celladeus velit denominationes certi ac probabili ab ipsis præcisè objectis dependere. Certè parùm refert, effectum omnimodè determinatione contineri in causa, ut ego affirmare possim illum esse futurum, nisi cognoscam quod hoc modo in illa continetur. Rursus nisi sufficienter hoc cognoscam, scilicet certò vel probabiliter, non possum prudenter dicere effectum illum esse futurum. Idem valet de effectû contento in causa, sed mutabiliter; nam nisi hoc ipsum aut certò aut probabiliter innotuerit, nemo nisi stultè ejus futuritionem prædicet. Demùm S. Thomas in secundo textu expressè dicit, quod opinari possumus de effectû in impedibili causæ inclinatione contento, nec per umbram ad hoc requirit, ut inclinatio illa ferè nunquam impediatur; imò ex toto contextu ac universali ejus locutione oppositum videtur certum. At Celladeus vult, nil esse opinabile, aut probabiliter prædici posse, quod non continetur in causa, quæ ferè nunquam impediatur. Ergo repugnat S. Thomæ, quem citat.

43. Nec feliciter applicat hanc doctrinam Sancti Thomæ ad motiva, quibus incitatur ad res assu mandas; nam eadem prorsus est difficultas de motivis probabilibus, ac de rebus ipsis, quæ à motivis illis denominantur probabiles. Quid enim juvat, medium habere necessariam connexionem cum consequente, nisi ego certò cognoscam medium illud & existere, & indefectibilem illam connexionem habere? Certè si alterutrum horum desit, non magis poterò illud certò affirmare, quam si medium non necessariò, sed solum plerumque ita se haberet. Itaque errat Celladeus, dum dicit totalem mediæ determinationem generare assensum certum conclusionis; nam certitudo conclusionis non ab ipsa tantum reali determinatione mediæ, sed à certa talis determinationis propositione dependet. Similiter errat, quando loquitur de medio non omnimodè sed plerumque connexo, quia loquitur tantum de reali connexionem, se tenente ex parte objecti, independentem à comparatione ad intellectum. At motivum illud non erit probabile, stante tali connexionem, nisi appareat in tali gradu esse plerumque connexum cum re, quam probabilem denominat. Præterea, quamvis appareat plerumque connexum cum re illata, non ideo motivum illud erit probabile; quia si frequens illa connexio non certò innotescat, sed exigua prorsus claritate appareat, haud dubiè non erit probabile, nec quisquam nisi temerè infert conclusionem ex tali medio. Itaque ut medium ejusmodi sit certò probabile, debet certò

certò nobis innotescere, quod plerumque connectatur cum consequente; nam quamdiu formidamus de hac connexionem, certi non sumus, aut quod detur, aut quòd illud motivum sit probabile. Ecce nullū objectum, sive motivum sive illatum, est probabile per se, nec aliter habere potest talem denominationem, quàm dependenter à qualitate propositionis, quā repræsentatur intellectui, ut mox explicabitur. Interim falsissima est illa Celladei illatio, quod nil sit probabile, quod non subest medio ita plerumque se habenti, ut ferè nunquam aliter se habeat; oppositum enim multipliciter, & efficaciter probatum est, ut constat ex dictis.

Intellectus aliter se habet cum motivis oppositis æqualibus, quàm cum nullis.

44. Demùm falsum est, quòd perinde sit intellectui ad eliciendam conclusionem, sive nullum habeat motivum, sive habeat duo æqualia sibi contradicentia: nam sicut non est perinde voluntati nullum habere motivum, ac inter duo detineri: ita pariter dicendum est de intellectu, quippe qui ita subditur imperio voluntatis, ut ubi sunt duo motiva contraria, flecti possit ad assensum alterius, quod repugnat, si omne motivum deficit. Ad exemplum hominis æquè ambiciosi ac avari, dico intellectum non posse flecti ad existimandum, quòd securus sit potius unam, quàm alteram ex illis propensionibus, nisi habeat aliquod motivum ad hoc assensum. Jam si dicas, quòd neutrum possit affirmari, eò quòd voluntatem habere duo motiva æquè allicientia, non sit motivum impellens intellectum ad credendum unum potius quàm alterum futurum; nil mirum, si talis assensus elici non possit, cum intellectus omni motivo carere supponatur. Si verò intellectus duplici motivo alliceretur ad affirmanda opposita, sicut voluntas illius ad opposita amplectenda stimulat, utique ex imperio voluntatis flecti posset ad alterutrum existimandum, quamvis stimuli illi intellectuales verè essent æquales, ut constat ex dictis *quæst. 29. & 30. & 31.* ubi fusè de hoc argumento actum est.

Multiplex & mirabilis doctrina Celladei, in omnibus ferme à veritate aliena.

45. Objicit quartò. Res probabilis debet esse minus universalis, quàm principium ex quo probatur; alioquin principium illud ita se haberet ad illam conclusionem, ut respectu illius semper eodem modo contingeret. At ex definitione Aristotelis requiritur ad probabilitatem, ut motivum comparetur ad rem illatam tanquam ferè semper ita se habens; ita tamen, ut aliquando deficiat. Ergò ut motivum sit probabile, debet plura complecti, quàm inferuntur in conclusione. Hoc autem est motivum illud ita se habere ad rem probabilem, sicut universale ad particulare, seu sicut magis latè patens ad id quòd minus latè patet. Ita Celladeus §. 5. ex quibus comminiscitur, Aristotelem ideo apposuisse suæ definitioni probabilitatem, ut motivum se habeat ad probabile sicut universale ad particulare, quia alioquin nulla elici posset conclusio probabilis. Si enim principium & medium conclusionis probabilis ferè semper ita se habeat, jam aliquando vel in aliquo deficiat. Ergò nulla determinata conclusio sequitur, quia concedi possent præmissæ & negari consequentia. Sic in hoc syllogismo. *Omnis mater diligit filium. Berta est mater filii. Ergò Berta diligit filium.* Concessis præmissis, negari posset consequentia, quia fortè principium illud deficiat in Berta. Quod si dicas conclusionem, stantibus præmissis, negari non posse, sed majorem esse negandam, quia non est principium, omnes matres, sed solum omnes ferme matres diligere filios; tunc certò certius nil sequitur in conclusione, quia syllogismus iste: *Omnis ferè*

*mater diligit filium. Sed Berta est mater filii. Ergò Berta diligit filium:* caret formâ legitimâ. Hæc ut conciliet Celladeus, dicit limitationem illam Aristotelis fuisse necessariam, quia principium aut medium probabile non omnia prorsus particularia reddit probabilia, sed solum pleraque & ferè omnia. Quod ut probet, dicit medium probabile in affirmativis ad magnam inclinationem, & in negativis ad magnam difficultatem, sed superabilem, reduci. Difficilium natura est, ut ferè nunquam eveniant, sicut habentium magnam inclinationem, ut ferè semper fiant, & ideo istæ propensiones ac difficultates fundant probabilitatem. Cæterum S. Thomas ex Aristotele notat, & experientia comprobatur, quòd sicut difficultas in tali gradu est necessitas, ut se ferè nunquam res fiat, sic est necessitas, ut aliquando fiat. Sic hominem se suspendere difficillimum est; hoc ipsum tamen aliquando deficit, & necesse est ut deficiat in aliquo. Ex hisce infert Celladeus, medium probabile ita se habere ad ea, quæ reddit probabilia, sicut universale ad particulare; quia non omnia, sed solum pleraque sub se contenta reddit probabilia: nam in aliquibus deficiat. Unde vult syllogismum illum, *Omnis mater diligit filium &c.* & omnes illi similes non solum non esse idoneos ad materiam probabilem, sed directè illi contrarios, si medium Mater ad omnem matrem applicetur in majori; quia major illa non solum non est probabilis, sed apertè falsa; siquidem probabile habet de se, ut in aliquo deficiat.

46. Respondeo in primis, argumentum hoc esse solum ex dictis in probatione Assertionis quartæ, ubi ostendimus, conclusionem probabilem sæpè esse æquè universalem ac medium ex quo sequitur. Itaque nulla erat necessitas ponendi hanc objectionem, nec eam posuissim, nisi ut occasionem haberem detegendi plurima alia falsa, quæ Celladeus adjungit, ut falsissimam suam assertionem reddat verissimam.

47. Primus error est, quòd tam necesse sit principium probabile in aliquo deficere, quàm in quamplurimis ita se habere. In primis multæ sunt res ex se necessariò connexæ, quæ etiam primo aspectu connexæ apparent, non tamen lumine evidenti aut certo. Hujusmodi objecta aut sunt, aut esse possunt motiva probabilia, quia sub eo præcisè lumine proponi possunt, quòd illa non reddat certa, sed solum prudenter credibilia. Rursus in rebus contingentibus sæpè principium probabile hic & nunc adhibitum omnibus sub termino universali comprehensis ita convenit, ut nullum particulare excludatur. Tales sunt istæ propositiones universales. *Omnis octogenarius hujus civitatis aliquam infirmitatem habuit. Nulla mater hujus pagi occidit filium.* Certè istæ propositiones sunt hic & nunc evidenter credibiles, & sæpè absque temeritate negari non possunt, etsi certò non innotescant. Et tamen propositiones istæ sæpè absque ulla exceptione conveniunt omnibus individuis sub termino universali comprehensis. Adde propositionem illam, *Nulla mater hæcenus occidit filium suum,* erat probabilis ab initio mundi, antequam ulla mater proprium partum exinxisset. Et tamen tunc omnibus sub se contentis æquè conveniebat. Ergò non est necesse ad principium probabile, ut in aliquo deficiat, Quod si accipiamus talem rerum collectionem, tot circumstantiis variatam, ut jam necesse sit aliquam judicii varietatem inter contenta sub termino universali, propositio universalis non erit probabilis, sed evidenter falsa. Talis est hæc propositio, *nulla mater occidet*

Prin us Celladei error.

Principium probabile non necessariò deficiat in ullo individuo.

Principium quod scitur deficere in illo, non est probabile.

occidet filium, quæ ideo non est principium probabile; sed propositio certò falsa, quia tot sunt occasiones, quibus matres aliquando gravissimè urgentur ad suos filios interimendos, ut moraliter impossibile sit, plures ad proprios partus conficiendos non esse inducendas. Itaque omnia exempla hujusmodi sunt abs re. Peto enim Celladeo, ut mihi proponat vel unum principium universale probabile. Deinde peto, an sit vel non sit necesse, illud ad omnia sub se contenta non extendi: si exceptio aliqua sit & sciatur esse necessaria, propositio illa universalis non erit principium probabile; sed propositio certò falsa, cui proinde nemo nisi imprudenter assensum præbere potest. Si non sit necesse exceptionem fieri, unde scit Celladeus, aliquam semper intervenire? Ecce qualia & quàm inconsistentia congerit hic Auctor, ut in causa malè incepta cum consequentia progrediatur. Si enim verum dicat, tollit omne principium probabile, quod tamen unicè stabilire contendit.

Omnes cū Aristotele sentiūt contra Celladeum.

48. Certè quod ille ad rationem motivi probabilis requirit, communi omnium sensui apertè repugnat. Omnes enim cum Aristotele admittunt, eandem prorsus esse formam syllogismorum probabilium & scientificorum. Ergò eo ipso omnes admittunt ac supponunt, plures dari propositiones universales, quæ sint probabiles, & per modum principii admittantur pro veris. At nemo assentitur ulli propositioni universali, nisi credat illam absque ulla exceptione esse veram; nemo enim, qui credit ullam latere exceptionem, formare potest propositionem universalem de contrario. Ergò omnium sensus est, principia probabilia non necessariò pati exceptionem; sed aliqua, imò omnia, quæ pro principiis admittuntur, reputari vera absque ulla exceptione actuali, quamvis certò non appareat necessitas aut ita se habendi simpliciter, aut ita se habendi sine exceptione.

Secundus Celladei error.

49. Secundus error latet in miro illo commento, quo contendit, Aristotelem ideo dixisse medium probabile non sufficienter explicari per plerumque contingens, nisi comparetur ad conclusionem sicut universale ad particulare, quia alioquin nulla conclusio probabilis elici posset. Nam ratio quam affert, nec est vera, nec admissa probat intentum. Non est vera, quia supponit omne principium probabile universale necessariò deficere in aliquo, & non posse se ita habere in omnibus. At hoc est falsum, ut constat ex dictis. Deinde hoc admissio, consequentia non sequitur: nam in illo syllogismo, *Omnis mater diligit filium. Berta est mater. Ergo Berta diligit filium.* Conclusio necessariò sequitur, admissis præmissis; quamvis enim principium illud revera in aliquo deficiat, & sic fortasè locum non habeat in Berta; tamen si in mente nostra admittatur ut vera in omnibus, admittitur etiam ut vera in Berta. Unde conclusio legitime deducitur, & intellectus necessitatur ad illi assentiendum, si semel præmissas concedat.

Confundit principium evidenter falsum cum principio probabili.

Itaque in eo errat, quòd majorem illam de matribus in omni universalitate sumptis intelligi velit. Nam major illa sic sumpta non est probabilis, sed & est, & scitur esse evidenter falsa. Ponat propositionem universalem, quam intellectus admittit ut veram, & haud dubiè conclusio legitime sequetur, quamvis nec à parte rei, nec in mente discurrerentis ulla deur exceptio. Quòd si signum universale omittatur, & dicatur, *omnis serè mater amat filium*, conclusio non legitime sequitur; sequitur autem, si dicatur, *Omnis mater hujus pagi diligit filium. Berta est mater hujus pagi. Ergo diligit filium.*

50. Tertius error est, quòd dicat, medium probabile omnia sub se contenta non reddere probabilia, sed solum pleraque; ea scilicet, quæ sub se verè complectitur, non ea in quibus deficit. Hic est error prorsus intolerabilis in præsentis tractatu, non solum quia procedit de subiecto non supponente, quatenus supponit nullum principium probabile assignari posse, quod in aliquo non deficiat; sed vel maximè, quia jam supponit probabile coincidere cum vero, quia juxta hunc dicendi modum nil falsum esse potest probabile, unde duo evidenter sequuntur. Alterum est, probabile definiri debere per veritatem, ut illud solum sit probabile quod est incertum & verum. Alterum quod probabilitas æquè lateat ac veritas. Unde sicut nunquam certi sumus an propositio probabilis de ullo determinato objecto incerto sit vera; ita nunquam certificari possumus, quòd illa propositio sit probabilis. At utraque sequela est certò falsa, ut ostensum est.

51. Quartus error est, quòd dicat medium probabile solum reddere pleraque sub se contenta probabilia. Nam contra est, quia reddit pleraque evidentia; evidens enim est, pleraque matres diligere filios. At Celladeus contra apertam veritatem vult, quod solum reddat illa probabilia. Unde mirum non est, quòd non intellexerit naturam motivi probabilis universalis, quia erravit in principio, ex quo illa declarari debet. Necessitas enim quòd pleraque matres diligant filios suos, reddit hanc propositionem universalem primò & per se probabilem, de quavis matre particulari dicendum est, quod amat filium, nisi aliqua exceptio magni momenti obstet in contrarium. Unde subsumitur: *Sed Berta est mater filii, & nulla exceptio momenti affertur contra ejus affectum erga filium. Ergo dicendum est quod Berta diligit filium.* Major est credibilis, quamvis aliquando deficiat à vero in aliquo particulari casu. Et sanè quando dicimus: *Omnis mater diligit filium*; & illud proponimus ut principium probabile, propositio illa non debet sumi cum universali distributione, quæ resolvatur per descensum copulativum, ut sensus sit, & hæc & illa & reliquæ amant filios, quia hoc est evidenter falsum; sed accipi debet cum distributione, quæ resolvitur non per descensum illum copulativum, sed solum per separatim & singularem descensum singulis seorsim applicabilem, juxta sensum propositionis à me allatæ. Et in hoc sensu propositio digna est assensu. Nec necesse est, ut habeat ullam exceptionem, quia procul dubio ab initio mundi diu vera erat absque ulla exceptione, multoquæ tempore mansit vera absque ulla necessitate exceptionis. Porò credibilitas, seu probabilitas hujus propositionis fundatur, non in probabilitate (ut falsò vult Celladeus) sed in evidentia, quòd matres plerumque diligant filios; quia hæc evidentia stante propositio à me allata non potest non esse credibilis, & illà ablatà non est unde sine exceptione credibilis evadat. Ergò dantur motiva probabilia, quæ universaliter admitti debent ut vera, quamvis contingat aliquando ut exceptionem patiantur, & in particulari subjaceant falsitati.

52. Quintus error est, quod radicem omnis probabilitatis reducat ad propensionem vel difficultatem, cum tamen certum sit, multa esse probabilia, quæ tamen nullam difficultatem habent, ut ponantur. Qui unà vice jacit decem aleas, absque difficultate projicit numerum exactis determinatis constatum, cum tamen antequam aleas jaceret, probabilissimum esset, numerum

merum expunctis illis determinatis constat non esse proventurum.

Sextus error Celladei.

Neceffitas ad plerumque non inferendam sibi mortem non est neceffitas ad illam aliquando inferendam.

53. Sextus error est, quod ex S. Thoma & Aristotele dicat, ipsam difficultatem in tali gradu constitutam, sicut est neceffitas ut res ferè nunquam fiat, ita esse neceffitatem, ut aliquando fiat. Hoc assertum naturæ luminis aperte repugnat. Id enim, quod necem sui ipsius reddit homini difficilem, est dolor mortis subeundæ, privatio delectationis, quam haurit & sperat haurire ex vita &c. At ista non sunt, quæ neceffitant aliquos ex tota collectione ad se ipsos interficiendos, sed omnia istis contraria; nempe ereptio sui ex malis præsentibus & imminetibus, à quibus sperant se per mortem liberandos, & à quibus aliter se liberari non posse putant. Verum quidem est, neceffitatem ad mortem frequentissimè omittendam non impedire neceffitatem ad aliquam exceptionem, quia in rebus humanis datur rerum vicissitudo, & hæc dispositionibus rem difficultantibus succedunt aliæ profus contrariæ, quæ rem faciunt. At dicere ipsam difficultatem, ratione cujus neceffe est, ut res ferè nunquam eveniat, esse ipsam neceffitatem ut res illa aliquando eveniat, est ab omni veritate profus alienum. Nec minùs absurdum est in tam palmaris falsitatis patrociniis S. Thomam, Aristotelem, & ipsam experientiam adducere. Certè si illæ circumstantiæ, quæ mortem propriam reddunt difficilem, semper manerent invariatae, nemo manus sibi inferret, sed omnes ex morali quadam neceffitate oppositum eligerent, ut patet. Similiter si circumstantiæ illæ, quæ homines ad propriam mortem extimulant, semper adessent, illæ non ad raram, sed frequentissimam mortem sibi inferendam homines stimulerent.

Septimus error Celladei.

54. Septimus error est, quod dicat, syllogismum illum. *Omnis mater diligit filium &c.* omnesque similes non solum non esse idoneos ad materiam probabilem, sed illi directè contrarios, si medius terminus sumatur in sua universalitate. Contrarium enim ex dictis constat esse certissimum. Præterea, omnes, qui formant syllogismos probabiles, necessariò ponunt præmissas universales, quæ in sua universalitate sumptæ sunt probabiles, & creduntur nunquam aliter se habere, ut certum est ex dictis. Quod si peculiaris illa major sit evidenter falsa, id ad rem non est, quia tunc illa, ut jacet, non est probabilis, nec absque limitatione posita sumi potest pro principio probabili. At loquendo de aliis propositionibus universalibus, illæ probabiles sunt, nec certum est, ullam dari exceptionem, sed oppositum in casibus innumeris est credibile; & ideo assumi possunt tanquam præmissa, seu principium pro inferenda conclusione probabili. Imò perspicuum est quomodò syllogismus probabilis in omni modo & figura formari possit per illas, sicut syllogismi scientifici formantur; quod Celladeus nunquam ostendit, cum neget ulla propositiones universales esse posse medium syllogismi probabiles. Ille quidem hoc sibi quodammodò objicit, sed difficultatem rejicit ad Logicos, quos ait acumine indigere, ut in probabilibus rectum syllogismum forment. Sed si principii illius inhaereant, nullum acumen ad rem profus impossibilem perficiendam sufficere poterit. At si sequantur doctrinam communem, quæ verissima est, admittantque propositiones universales esse posse probabiles, ac pro præmissis assumi, non majori acumine opus est pro forma syllogismi probabiles, quam scientifici, ut omnibus est notissimum.

Syllogismus probabilis est impossibilis in principii Celladei.

55. Hi sunt errores, quos Celladeus in ultimo §. quaest. 16. coacervavit, quibus non obstantibus, visus sibi est præclare rem suam confecisse & fundamenta solida contra benignam sententiam jecisse; sed in omnibus fallitur: fundamenta enim mera eorum denudatione corruunt, ut visum est; & licet staret, benignam sententiam fulcirent, non everterent, ut infra patebit. Interim dejectis Celladei argumentis, ejusque doctrinam eversam, videndum est, in quo essentia probabilitatis consistat. Sit ergò

ASSERTIO VI.

Propria ratio motivi probabilis consistit in quadam vi stimulandi intellectum ad aliquid affirmandum, vel negandum.

Ratio motivi probabilis consistit in vi stimulandi intellectum.

56. PROBATUR primò. Probabilitas non est denominatio absoluta, objectis adquate intrinseca, sed est denominatio relativa ad intellectum, ut ostensum est. Porro relatio hæc in eo peculiariter consistit, quòd sollicitet & stimulet mentem ad judicium ferendum de re proposita; quia tam probabilitas quam certitudo & evidentia eò tendunt, ut aliquid nobis persuadeant, & hoc omnes statim intelligunt, quando audiunt aliquid esse probabile, certum, vel evidens. Ergò tam probabilitas, quam certitudo, & evidentia essentialiter consistunt in stimulo potente allicere intellectum ad aliquid affirmandum vel negandum.

57. Probatur secundò. Ipsa notio motivi directè exprimit vim stimulandi illam potentiam, cuius est motivum. At motivum probabile est motivum potentie intellectivæ. Ergò propria illius essentia ac notio consistit in vi stimulandi intellectum ad aliquid affirmandum vel negandum. Hæc vis est prædicatum genericum, in quo omnia motiva tam certa quam incerta conveniunt. Et hoc prædicatum in præsentii assertionem solum proponitur, & explicatur. Nam in sequentibus prædicatum differentiale motivi probabilis exponitur. Interim ut pergam in pleniori notitia hujus prædicati generici. Sit

Omne motivum stimulat potentiam, quam movet.

ASSERTIO VII.

Propositum sit explicare, in quo motivum intellectus consistit, & quod sit officium partium illud constituentium.

Quid sit motivum intellectus, & ex quibus partibus componatur?

58. OMNE motivum intellectuale essentialiter dicitur duo; alterum est objectum, quod proponitur; alterum est apprehensio, quæ objectum proponitur. Repugnat siquidem intellectum moveri ab objecto, quod ipsi non proponitur. Rursus propositio est objecti alicujus representatio, ut patet. Quolibet autem ex istis ablato, cessat ratio proximè movens ad assensum. Ergò utrumque essentialiter requiritur ad rationem motivi completè sumpti. Nec de hoc ulla est, aut esse potest difficultas.

59. Jam ex istis duobus, id quod subit denominationem motivi, & verè movet, est objectum quod representatur, non representatio illius. E contra id, quo intellectus movetur, est representatio non objectum; sicut enim hi movet

Obj. etiam movet ut quod representatio est quo.

voluntatem ad amorem, nisi illi repræsentetur ut bonum, ita nil movet intellectum ad assensum, nisi illi proponatur ut verum. Porro sicut repræsentatio boni nec est id quod movet voluntatem, nec est bonum quod intenditur, & cuius gratia cætera fiunt, sed solum est id, quo repræsentatur & applicatur bonum quod movet; ita id quod movet intellectum, non est repræsentatio veri, sed ipsum verum quod ipsi repræsentatur, quia hoc solum apparet ut verum, cum ipsius propositio reflexè non cognoscatur, & licet cognoscatur, illius prædicata cognita non habent vim movendi intellectum ad inferendam conclusionem. Itaque id quod verè movet intellectum, & subit denominationem motivi, est objectum quod repræsentatur, non autem illius repræsentatio. Hæc tamen complet denominationem, tum quia illa solâ ablatâ denominatio cessat, tum quia per illam objectum movet intellectum, ut patet.

60. Probatur secundò, Objectum ipsum est indifferens, ut habeat denominationem motivi evidētis, vel inevidētis, certi vel incerti; objectum enim quod movet ad fidem, quia obscurè proponitur, moveret ad scientiam si clarè & intuitivè repræsentaretur. Universaliter enim verum est, quòd omnia prorsus objecta sive mediatè sive immediatè innotescunt per cognitionem obscuram, quæ ideo dicuntur vel motiva vel illata obscura, evaderent motiva aut illata evidētia, si immediatè vel mediatè innotescerent per clarā & evidētem repræsentationem. Itaque objectum quod movet & denominatur motivum, completur in hac denominatione per aliquid aliud, nempe per propositionem illius, à cuius specifica differentia tota motivorum diversitas dependet. Ergò motivum intellectus ita constat ex duabus partibus essentialibus, ut objectum sit id quod movet ut quod, repræsentatio verò illius movet ut quo.

61. Demum probatur, quia ut objectum moveat intellectum, debet illi vitaliter uniri; nisi enim ita uniat, nequit illum movere, ut patet. Ergò id, per quod objectum vitaliter unitur intellectui, complet illud in ratione motivi. Et ratio est, quia motivum intellectus reducitur ad unam ex causis, à quibus assensus dependet. Motivum enim impellit ad assensum, & ad hoc solum deservit, ut ex vi illius assensus eliciatur. Ergò quidquid complet objectum in ratione causæ proximè allicientis ad assensum, & in assensum influentis, id ipsum complet illud in ratione motivi, seu causæ motivæ. At certum est, quod sola repræsentatio objecti proximè compleat illud in ratione allicientis & vitaliter impellentis ad assensum; immò objectum non aliter influit in assensum, quàm mediante hac sui repræsentatione. Ergò hæc sola est, quæ proximè & formaliter constituit illud in ratione motivi.

ASSERTIO VIII.

*Probabilitas, seu forma dans objecto apparenti denominationem motivi probabilis, est ipsa objecti representatio, quâ intellectus stimulat ad assensum illi præbendum.*

Probabilitas consistit in repræsentatione objecti, quod est probabile.

62. **P**ROBATUR. In omni concreto ex duabus partibus constato illud est subjectum denominationis, quod est indifferens ad hanc vel aliam denominationem; illa verò est forma denominans, quæ non est indifferens ad plures denominationes, sed necessariò attribuit unam determinatam subjecto, cui applicatur. Sed omne

motivum probabile est concretum, ex objecto & objecti repræsentatione constatum. Ergò illud est materiale seu subjectum hujus concreti, quod est indifferens ad denominationem motivi probabilis; illud verò forma denominans, quod non est indifferens ad hanc denominationem, sed necessariò tribuit illam subjecto, cui applicatur. At objectum repræsentatum est indifferens ad denominationem motivi probabilis, certi, aut evidētis; ipsa verò repræsentatio non est indifferens ad hanc aut illam denominationem, sed essentialiter alligatur suo objecto, illudque ad hanc denominationem determinat. Ergò probabilitas, seu forma denominans motivum probabile, est ipsa objecti repræsentatio, quâ intellectus stimulat ad assensum illi præbendum.

63. Argumentum allatum æquè procedit de denominationibus evidētis & certis; utraque enim dicit objectum pro subjecto, repræsentationem autem pro forma. Idem enim objectum pro diversitate suæ repræsentationis modò est probabile, modò certum, modò evidēs; diversa autem repræsentatio diversas has denominationes tribuit. Itaque evidētia, certitudo, ac probabilitas non sunt formæ se tenentes ex parte objecti, quod subit illas denominationes, sed sunt solum repræsentationes diversæ, ac diversi stimuli, quibus intellectus diversimodè incitatur ad assensum tali objecto præbendum. Probabilitas ergò, certitudo, & evidētia adæquatè consistunt in actibus intellectus, & objecta ab illis denominantur probabilia, certa, vel evidētia. Itaque Cella deus in eo erravit, quòd probabilitatem in ipsis objectis quæserit, atque subjectum cum forma, & probabile cum probabilitate confuderit, in quo non minus deceptus est, quàm si evidētia cum re evidēti confudisset, quia tamen certum est distinguere, cum vera, propria, seu formalis evidētia in ipsa clara repræsentatione consistat, & sine illa haberi non possit. Eadem autem ratio procedit de probabili, & probabilitate, ut patet.

ASSERTIO IX.

*Probabilitas rectè definitur, fallibilis apparentia veritatis, antecedens omnem indebitum animi affectum, omnemque assensum objecto representato præstitum, tantum tamen magnitudinis, ut ex omnibus illi aequalibus in unum collectis plerumque conjungantur cum veritate.*

64. **D**EFINITIONEM hanc latè explicui ac probavi quæst. 2. de Consc. prob. num. 11 & seqq. ubi ostendi quomodò definitio illa Aristotelis, Probabile est, quod plerumque contingit, non possit universalem veritatem continere, nisi per hanc probabilitatis notionem explicetur. Interim, ut assertio melius intelligatur, lubet pauca exhibere breviter exponere. Sciendum ergò est, apparentiam veritatis, seu stimulum intellectualem, antecedentem omnem affectum omnemque assensum uni parti indebitè alligatum (non loquor hic de apparentia consequente dictum affectum & iudicium uni parti alligatum, quia illa sumit augmentum suum à voluntaria dispositione opinantis, non à solo merito causæ, ideoque nemo prudens ex tali apparentia regulat iudicium suum) quadrifariam dividi. Primus stimulus tantæ claritatis est, ut nullum stimulum ad oppositum secum patiat; ideoque rapit intellectum ad assensum objecti, quod tantâ claritate repræsentatur.

tatur. Hic stimulus, & haec apparentia est & dicitur evidens, quia prima ac formalis evidentia objecti in illa consistit. Secundus stimulus non excludit omnem impulsu ad contrarium, ideoque est obscura ac inevidens representatio objecti, & non necessitat ad assensum; est tamen tantae magnitudinis, ut nec illa, nec ulla illi aequalis jungi possit cum falsitate. Talis est apparentia, quam fideles habent de veritate mysteriorum fidei, quae apparentia, licet non fundetur in evidentia rei creditae, postulat tamen evidenciam summam credibilitatis de veritate ipsius. Haec apparentia & hic stimulus est certus ac infallibilis, sed obscurus.

65. Haec duae classes complectuntur omnia certa & infallibilia, quorum aliqua sunt evidentia, alia obscura, sed evidenter credibilia super omnia. Unde apparentia certa & infallibilis dividitur in evidentem & obscuram. Post apparentiam autem certam & infallibilem, sequitur apparentia fallibilis & incerta, quae in eo consistit, quod illa non sit tantae magnitudinis, quin aut ipsa, aut alia illi aequalis, connecti possit cum falsitate. Haec classis apparentiae fallibilis bifariam dividitur, nam alia parum recedit ab apparentia certa, & obscura, quia tantae magnitudinis est, ut ex omnibus illi aequalibus plerumque connectatur cum veritate. Porro ipsa intrinseca magnitudo talis apparentiae essentialiter connectitur cum hac necessitate, alioquin non fundaret iudicium prudens, nec homo unquam prudenter assentiri posset propter motivum fallibile; stultum enim est in incertis assensum praestare propter motivum, cujus intrinseca magnitudo est adeo exigua, ut non frequentius connectatur cum vero, quam cum falso, aut, quod deterius est, frequentius connectitur cum falso, quia hac ratione intellectus nimis evidenter errandi periculo exponeretur; id est, ut planè fortuitò se haberet ad verum, aut certè magis exponeretur ad falsum, quam ad verum. Demùm quarta classis multum recedit ab apparentia certa; & tam exiguam magnitudinem habet, ut ex omnibus illi aequalibus aut pauciores, aut certè non plures, connectantur cum vero quam cum falso.

66. Ex hisce apparentiis, & apparentiarum classibus, prima est evidentia; secunda est infallibilis certitudo obscuritatis conjuncta; tertia est apparentia fallibilis, sed digna assensu, quia fundat assensum, de cuius veritate possumus prudenter credere ob intrinsecam magnitudinem sui motivi. Et sanè quando certitudo haberi nequit, nemo argui potest ut imprudens, si sequatur stimulum intellectus, cui veritas plerumque subest; malum enim fuisset intellectui, si absque nota imprudenciae & temeritatis tantae apparentiae fidem dare non potuisset, cum illa ob suam magnitudinem mereatur fidem, sed cum formidine oppositi. Quarta classis est infra probabilitatem, quia non est digna assensu. Ex his constat probabilitatem esse apparentiam assensu dignam, seu apparentiam in assertione explicatam, quae ex vi suae magnitudinis necessario postulat plerumque connecti cum vero.

ASSERTIO X.

Propositum sit explicare, unde cognosci possit, quae apparentia ex sua intrinseca magnitudine postulet plerumque connecti cum vero.

67. Aliud ad completam probabilitatis, & ad motivi ac opinionis probabilis notitiam superesse non videtur, quam ut explicetur,

unde dignosci possit, quae demum sit apparentia vi suae magnitudinis plerumque connexa cum vero. Hoc ergò hic declarandum assumpti. Itaque imprimis in multis casibus magnitudo hujus apparentiae colligitur ab experientia eorum rerum, quas sensibus ipsis experimur plerumque contingere. *Vs senes canescere, homines mori ante annum centesimum &c.* Unde statim habetur tanta apparentia veri circa quodvis istorum objectorum, ut certissimus, eos plerumque non falli, qui sapientissime de particularibus personis judicant, & dicunt, *Hic puer canescet si ad senectam pervenerit: hic infans non peringerit ad annum centesimum.* Et ideo omnia haec particularia sunt probabilia, quia affirmantur ex vi luminis, quod ex intrinseca sua magnitudine, à rebus ipsis benè perceptis desumpta, postulat plerumque non fallere.

68. Haec est prima ac magis obvia probabilitatis notitia, ad quam expressè respexit Aristoteles in locis initio quaestionis citatis, tanquam ad primum & praecipuum analogatum inter omnia probabilia. Recole locum illum ex 2. Prior. cap. 27. ubi haec habet. *Quod enim urin pluribus sciunt se factum, vel non factum, aut esse vel non esse, hoc est ex hoc, seu propositio probabilis, ut odire inevidentes, vel diligere amantes.* Ecce Philosophus contrariatur Celladeo, quia non loquitur praecise de objecto, quod plerumque contingit; sed potissimè agit de perfecta illius cognitione, ac de notitia modi, quo similia continentur in suis causis. Unde non vult probabilitatem in hoc ipso casu sumi ab objecto secundum se considerato, ut vult Celladeus; sed insuper expressè requirit, ut certè experientia constet, talia plerumque ita se habere, & tunc habetur *ex hoc* seu *propositio probabilis*. Ceterum si illud objectum obscure tantum, & sub exigua veri apparentia apprehenderetur tanquam plerumque contingens, non esset probabile ex mente Philosophi, sicut non esset ex rei veritate. Constat ergò Aristotelem ad probabilitatem requirere apparentiam illam, in qua nos probabilitatem sitam esse docuimus.

69. Secundum caput, ex quo cognosci potest, quae apparentia ex vi suae magnitudinis plerumque connectatur cum vero, desumitur ab effectu, quem ab illa ipsa apparentia provenire videmus, aut experimur posse provenire. Hic effectus est assensus, quem probi & periti viri, non ex animi levitate, aut passione uni parti indebitè inclinata, sed post maturam rei discussionem praestant apparentiae, dum sententiam ita proferunt, sicut decet peritos & probos. Hic effectus certò arguit apparentiam, seu stimulum intellectualem, cui intellectus ita judicans innititur, tantae magnitudinis esse, ut ex omnibus aequalibus plures connectantur cum veritate quam cum falsitate. Ratio est, quia talis apparentia est digna assensu, fundat iudicium rationabile ac prudens, apta est ad impetrandum assensum à perito & probato, non leviter sed ut peritum & probum decet judicante. At apparentia ex vi suae magnitudinis non postulans plerumque connecti cum vero, non est digna assensu, neque fundat iudicium rationabile ac prudens; nemo enim nisi temerè sequitur apparentiam, quae propter debilitatem suam plerumque fallit. Rursus natura malè instituisset hominem, si ille in obscuris, judicando sicut decet probum & peritum, plerumque erraret. Ergò impossibile est, quin tales apparentiae plerumque non fallant. Itaque ex iudicio taliter elicitò rectè inferitur, apparentiam, cui innititur, ex vi suae magnitudinis fundare necessitatem plerumque non errandi, si talia

Aristoteles nobiscum est.

Assensus peritorum probat magnitudinem & probabilitatem motivi.

lumina sequamur. Ex proprio enim alicujus causæ effectu legitime inferitur existentia talis causæ, cum omnibus prædicatis ad talem effectum necessario requisitis. Hic modus arguendi est à posteriori & ab effectu, alter autem erat à priori, per quem à naturis rerum magnitudo apparentiæ deducebatur, & ex illius magnitudinis jam nota qualitas iudicii in ea fundati cognoscebatur. In præsentem autem à qualitate iudicii qualitas motivi declaratur.

Magnitudo stimuli, ex ipsius consideratione à peritis dignoscitur.

70. Cæterum magnitudo hujus apparentiæ non solum cognoscitur à iudicio taliter elicto, sed etiam ex ipsa stimuli existentis magnitudine, quam periti & probi in seipsis experiuntur; illi enim sæpe evidenter vident, apparentiam, quam in se sentiunt, esse dignam assensu, quia ex una parte certè sciunt, se nullam passionem animi excæcantes, aut ad unam partem indebitè pellente moveri; ex altera experiuntur, stimulum vehementem, clarèque perspiciunt, se non posse meritò reprehendi, si tali apparentiæ assensum præbeant. Hæc secunda via dignoscendi magnitudinem apparentiæ, seu determinandi apparentiam probabilem, maxime in rebus difficilibus, solis peritis conve-

nit; prima autem etiam imperitis communis est; omnes enim ex communi gravissimorum Auctorum consensu certificantur talem opinionem nisi motivo verè magno, verè probabili; quia certum est, aliquos eorum prout decet peritos & probos sententiam tulisse.

71. Ex his habemus, quid sit motivum esse magnum; grave, solidum, rationabile, prudens, seu probabile; omnia enim ista idem prorsus significant. Itaque illud est motivum verè magnum &c. quod vi suæ magnitudinis plerumque non fallit, etsi hic & nunc à vero aberret; seu quod aptum est ad impetrandum assensum à viro perito & probato, juxta dicta tum hic, tum in *trakt. de Consig. prob. quest. 2. num. 13.* & alibi sæpe. Unde iterum apparet, Celladeum frustra conqueiri de nobis, quod terminos obscuros non satis declaratos adhibeamus; nullum enim terminum inexploratum relinquimus, sed determinatum ac distinctum sensum singulis tribuimus, ipsam rerum originem, naturam, proprietates, causas & modos res ipsas cognoscendi exponimus. Sed ad alia pergamus.

## QUÆSTIO TRIGESIMA-OCTAVA.

In quo consistat essentia probabilitatis extrinsecæ?

Auctoritas loquentis consistit in duplici veracitate.



**P**ROBABILITAS extrinsecæ fundatur in auctoritate dicentis aliquid. Porro omnis auctoritas consistit in duplici loquentis veracitate, quarum altera est veracitas in cognoscendo, altera est & dicitur veracitas in dicendo. Prima consistit in capacitate debite cognoscendi res, per quam aliquis præsumitur non falli circa illas. Secunda consistit in dispositione, quâ persona loquens conformatur dictæ conceptui, & mentiendo non fallit. Prima dispositio est perfectio intellectus, Secunda est perfectio voluntatis. Porro, quod dispositiones istæ fuerint perfectiores, eò auctoritas est major. Ideo summa est Dei auctoritas, quia in cognoscendo nequit falli, nec fallere in loquendo. Creaturarum auctoritas eò major est, quod magis ad divinam accesserit.

Cur fides negatur aliquando peritissimis aliquando probissimis?

2. Cæterum si alterutra ex istis dispositionibus desit, deest pariter auctoritas ad fidem rationabilem sufficiens. Sic nemo prudenter credit demoni, licet perspicacissimo, & valde veraci in cognoscendo; quia verax non est, sed mendax in loquendo. Similiter veracissimis in loquendo non credimus, si ignorantes sint aut imperiti; quia etsi non fallant, facillimè tamen falluntur. Itaque utraque veracitas ad completam auctoritatem requiritur, & ideo non nisi hominibus scientiæ & conscientiæ, seu viris peritis & probis, fidem prudenter damus. His positis, questio est, quæ & qualis auctoritas sufficiat ad reddendum aliquid extrinsecè probabile. De hac re agit Celladeus *lib. 2. quest. 18. & 19.* Nos veritate stabilita, erroribusque Celladei detectis, solvemus quod contra benignam sententiam objicit. Sit ergo

### ASSERTIO PRIMA.

*Probabilitas extrinsecæ non bene definitur per auctoritatem ferè nunquam aut saltem plerumque non errantem in iis, de quibus alios instruit.*

3. **P**ROBATUR Assertio contra Celladeum, qui eadem prorsus ratione definit probabilitatem extrinsecam, quâ intrinsecam definit: nempe per hoc, quod sicut illa sola ratio est gravis, fide digna, magna, seu probabilis, quæ ferè nunquam fallitur aut fallit; ita illa sola auctoritas est gravis, magna, probabilis, quæ ferè semper verum dicit. Probatur, inquam, eisdem ferè argumentis, quibus similem definitionem probabilitatis intrinsecæ rejicimus, quia eodem prorsus modo demonstrant insufficientiam, ac nullitatem definitionis præsentis. Nominatim autem definitionem hanc ex eodem capite rejicio, ex quo Aristoteles supra *quest. superiore* rejicit definitionem probabilem, quæ simpliciter dicebat illud esse probabile, quod plerumque contingit; quia hoc, ut jacet, evidentibus ac necessariis convenit; talia enim plerumque contingunt, cum semper eveniant. Ita pariter in casu nostro, auctoritas infallibilis, certè cognita ut talis, includeretur in hac definitione probabilitatis extrinsecæ, si termini accipiantur ut jacet, quia talis auctoritas non solum plerumque, sed semper non fallit eos, quos docet. Nec sufficit, quod Celladeus postea limitet verba definitionis, quia limitatio illa